

INSTITUTIONES  
JURIS CANONICI

IN TRES PARTES,

AC SEX TOMOS DISTRIBUTÆ,

QUIBUS

Vetus & nova Ecclesiæ disciplina & mu-  
tationum causæ enarrantur

A DOMINICO CAVALLARIO

JURIS CANONICI ET CIVILIS PROFESSORE  
CONSCRIPTÆ.

TOMUS PRIMUS.



BASSANI, MDCCXCVI.

PROSTANT  
VENETIIS APUD REMONDINI.  
SUPERIORUM PERMISSU.



# PRÆFATIO.

*Ad cupidam sacrorum canonum juventutem.*

## AUCTOR.

§. I. **I**N tanta librorum copia, qua sacri canones, non fecus ac reliquæ facultates, a multis sæculis obruuntur, novæ tandem *juris canonici institutiones* evulgantur, quibus res canonica stilo fusiori, variis passim observationibus & nonnullis insertis quaestionibus, enarratur. Ita opus vel ipsa inscriptione damnari videtur. Scilicet institutionum hæ sunt leges, ut elementa artium & propriarum vocum explicationes contineant, & prima quasi lineamenta in studiosorum animis insculpant, quibus ad prolixiores & difficiliore libros præparentur. Et quidem meliores ecclesiastici scriptores & ante & post renatas litteras ex harum legum forma institutiones ediderunt, veluti Antonius Cucchus, Paulus Lancellottus, Franciscus de Roye & Claudius Fleuryus, quamvis non omnes pari methodo, ac felicitate, nec eodem rerum delectu. Etenim Cucchus & Lancellottus vix ultra decre-

---

---

# INSTITUTIONES JURIS CANONICI.

## PROLEGOMENA.

### CAPUT I.

*De natura & origine juris canonici.*

*Christus Ecclesiam fundat.*

§. I. **P**ostquam genus humanum, propter primi hominis labem a spe beatitudinis dejectum, peccati laqueis obstrictum diu jacuisset, temporis implera plenitudine, toties promissus patribus in prophetis, ad perditos homines in jus beatitudinis revocandos, Christus Jesus e sinu Patris advenit. Qui ut tantæ rei satisfaceret, nostram indutus humanitatem, ecclesiam sibi collegit & fundavit, quam exemplo & prædicatione sua instructam stare voluit æternum. Quod ita profecto fieri oportebat, ut redemptionis beneficium omnes complecteretur. Huic autem a se fundatæ ecclesiæ non solum Christus ipse vivens leges dedit, verum etiam per apostolos, quibus ad opus perficiendum immisit post mortem suam Spiritum sanctum, quo interno numine apostoli erecti & afflati ecclesiam per universum mundum dilatant.

*Ecclesia proprium regimen habet.*

§. II. Quum vero ecclesia ex multitudine credentium constet, & societatis natura talis sit, ut necessario certum regimen requirat, quo stet & conservetur; Jesus Christus discessurus ex hoc mundo ad Patrem, promissum de ecclesia æternum duratura veluti adimplens, perpetuum in ea regimen constituit, cui ejus regendæ potestatem, & eorum omnium, quæ ad ejus conservationem spectare viderentur, pleno jure concessit. Qua super te non est am-